

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

[Anonymi]

INCERTI AUCTORIS
AD
CALPURNIUM PISONEM
CARMEN

GYMNASIO OPPOLIENSI

NOVAS STUDIORUM SEDES

III. MENSIS AUGUSTI DIE

INAUGURANTI

GRATULATURUS

EDIDIT

IULIUS HELD

GYMNASII OPPOLIENSIS

QUONDAM ALUMNUS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS KUPFERIANIS.
MDCCCXXXI.

GENIO

GYMNASII OPPOLIENSIS.

Carmen ad C. Calpurnium Pisonem scriptum, eundem, qui periit a U. C. DCCCXIX prodita coniuratione contra Neronem facta, cuius dux ipse fuerat, Ovidii operibus adiungi solitum ipsique Ovidio a nonnullis adscriptum primus, quod sciam, Hadrianus Junius inductus inscriptione codicis in bibliotheca ecclesiae Deiparae Virginis Atrebatensis reperti Annaeo attribuit Lucano. Assensum significarunt Jos. Scaligerus, Pithoeus, Ger. Jo. Vossius, Casaubonus aliique. Sententiam Junii Justus Lipsius felicissime impugnavit et mox in fugam nobilissimi poetae consenserunt Barthius, Dempsterus, Cuperus; item postea Oudendorpius, Jo. Alb. Fabricius et novissime Jo. Christ. Wernsdorfius. Hic autem non contentus Lucano poëma abiudicasse orbae proli patrem circumspexit eumque in Saleio Basso, quem Vespasiani temporibus floruisse laude poetica constet, invenisse sibi visus est. Cf. eiusdem collect. Poett. latt. min. T. IV. part. I. pag. 43. Ego neque Saleium Bassum carminis auctorem agnosci posse censeo.

Qui primus poëma typis excudendum curaverit, incompertum est. E codice Ovidii opera continente primum prolatum puto: neque tamen, quae est Wernsdorfii suspicio (p. 47.), Jacobi Micylli operum Ovidii Basileensis editio ann. 1549 ad librum scriptum facta est. Etenim quae praesto mihi fuit Amat. Ovid. editio Lugdunensis ann. 1540, cui poëma illud adnexum est, textum, quem vocant, mendis quibusdam exceptis maxime typographicis eundem praebet atque oper. Ovid. editiones Frcf. ad Moen. 1575 et Lipsiae 1612 secundum postremam Jacobi Micylli recensionem excusae. Cum editione Lugdunensi vel cum Micylli recensione conspirant quatuor Gregorii Bersmanni editiones Lipsienses 1582, 1590, 1596, 1589, quarum tres priores Ovidiana simul, quarta Lucani Pharsaliam tenent.

Alteram poëmatis recensionem Hadrianus Junius inseruit Animadversion. Basil. 1556 edit. lib. VI. cap. 1, a Morillone factam e codice multum sane diverso ab illo vetustiorum editionum archetypo, fortasse tamen eodem, quo annis septendecim post Josephus Scaligerus usus est in recensendo carmine in Appendice Virgilii exhibito. Certe carminis recensio, qualis reperitur in Appendice Virgilii cura Lindenbrochii apud Franc. Raphelengium anno 1595 repetita uno tantum loco discrepat a textu Junii et quidem versu 216, ubi pro canemus Scaligerus tenemus dedit: quam diversitatem mea quidem suspicione aut Morillonis arbitrium peperit aut incuria Scaligeri satis manifestata in nota ad vers. 49. „diu finis (carmini) abfuit, quem ego inveni in illo codice.“ Suum enim locum iam tenere in editionibus antiquioribus versus 72—83, (hos carmen finientes invenit), non adverterat: neque Junii recensio istos versus in

fine tenens ipsi cognita fuisse videtur. Diversus autem et ab illo Junii libro et ab illo editionum altioris vetustatis archetypo iste codex fuisse videtur, quem apud Eburones hospitantem se inspexisse Barthius scribit Advers. XXVII. c. 13. Cf. vers. carm. 183. — Theod. Pulmanni editiones Lucani ann. 1564 et 1576 itemque Corpus omnium veter. poet. Lat. Aureliae Allobrogum ann. 1611. 4. carmen etsi Junii beneficio auctori suo redditum se offerre profitentur: tamen l. l. cum Scaligero tenemus praebent.

Cortius textum carminis ad diversas editiones restituit eique varias editionum lectiones et coniecturas eruditorum subiecit, ita tamen ut, quaenam editionum hanc illamve variarum lectionum teneret, non indicaret; sed semper Alii tanquam referentes introducerentur. Carmen adnexum est Lucani editioni, quae Lipsiae prodiit anno 1726. Textum Cortii Wernsdorfius repetivit Tom. IV. part. I. pag. 237—282. praedicandus, quia poëma docte illustraverit, minus laudandus, quod, cum ab editionibus haud imparatus esset, accuratam earum comparationem instituere et, quae hic illic a Cortio perperam enotata erant, emendare neglexerit: cuius rei insigne exemplum ostendet versus 37, quem in metro secundum Cortii iudicium Alii egregie laesissent. Ipse Wernsdorfius nonnullis locis lectiones perperam indicavit. Cf. vv. 207, 237.

Ego, quas commemoravi editiones, praeter illam Micylli ann. 1549, earum varias lectiones (non omissis, quas in aliis editionibus repertas Bersmannus in suarum margine apposuit) textui, quem dedi, una cum coniecturis eruditorum supposui, ita ut Cortii indicia, quae retinui, quia praeter meas aliis editionibus usus esse censeri potest, quoad fieri posset, illustrarem et corrigerem. Ad textum vero quod attinet, cum certissima duplicis ab ipso versificatore factae recensionis vestigia reperisse mihi viderer, curas eius secundas restituto simul legitimo in Lugdunensi editione eiusque sequacibus iam exhibito versuum ordine effingere studui. Lectiones receptae in libris extant, exceptis duabus, quarum altera (v. 23) Barthii, altera (v. 254) mea coniectura est. Neque enim docuere, pro quo Barthius decuere proposuit, servari poterat, neque versus 154: — „Nos humilis domus et sincera parentum" in hunc modum emendari non debebat: „Non humilis domus et sincera parentum." Nos structura verborum reiicit: non commendat et sensus loci et nexus. Se non humili genere ortum i. e. se ingenuum, se haud pravis parentibus natum versificator asseverat, paupertatis tamen caligine adeo obtectam domum parentum fatetur, ut ipse laudis viam insistere nequeat. Hoc firmant sequentia:

„Possumus impositis caput exonerare tenebris
„Et lucem spectare novam, si quid modo laetus
„Annuis et nostris subscribis, candide, votis.

Versu 239 Toantis vel Thoantis nomen superare non potui.

Quaestionem de auctore carminis, vestigia duplicis, quam invenisse mihi visus sum, recensionis, integram librorum notitiam, receptarum lectionum defensiones explicationesque locorum difficiliorum maior quam paro Editio dabit.

INCERTI AUCTORIS

CARMEN

AD

CALPURNIUM PISONEM.

Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo
Quosve canam titulos, dubius feror. Hinc tua, Piso,
Nobilitas veterisque citant sublimia Calpi
Nomina Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit et miranda per omnes
Vita modos: quae, si deesset tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.
At tu, qui tantis animum natalibus aequas
Et partem tituli, non summam, ponis in illis,
Ipse canendus eris! nam quid memorare necesse est,
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat
Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa cum pinseret hordea dextra?
Nec, si cuncta velim, breviter decurrere possim:
Et prius aetheriae moles circumvaga flammae
Annua bis senis revocabit mensibus astra,

Variae lectiones.

V. 8. fulta) Forte: culta. C. — 8. triumphis) »tropaeis voluit Heinsius.« Wernsd. — 10. si) Alii: cui. C. Sic Jun. Pulm. Scalig. — 11. Gentis honos) sic vir doctus. C. Item Lugd. 1540. Micyll. Bersm. nobilitas Jun. Pulm. Scalig. Aurel. mgo. Bersm. — 11. cuius) cui. Aurel. vitio typoth ut videtur. — 11. laus) latus Lugd. v. t. — 12. At tu) Sic Lugd. Micyll. Bersm. Felix. Jun. Pulm. Scalig. Aurel. mgo Bersm. — 15. Calpurnia) Calphurnia Lugd. — 17. humida) Scalig. coniec. fumida. — 19. aetheriae) aethereas. Lugd. aethereae Pulm. 1564. Scalig. Micyll.

Quam mihi priscorum titulos operosaque bella
Contigerit memorare: manus sed bellica patrum
Armorumque labor veteres decuere Quirites
Atque illos cecinere sui per carmina vates.
Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem
Exaequamus avis. Nec enim, si bella quierunt,
Occidit et virtus: licet exercere togatae
Munera militiae: licet et sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub iudice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis
Altaque vitrices intexunt limina palmae.
Quin age maiorum, iuvenis facunde, tuorum
Scande super titulos et avitae laudis honores,
Armorumque decus praecede forensibus actis!
Sic etiam magno iam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis cesserunt arma togatis.
Quaeque patrum claros quondam visura triumphos
Olim turba vias impleverat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora, cum tua moestos
Defensura reos vocem facundia mittit.
Seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum
Et firmare iubet centeno iudice caussas,
Seu capitale nefas operosa diluis arte,
Laudibus ipsa tuis resonant fora. Tu quoque, Piso,
Iudicis affectum possessaque pectora ducis

Variae lectiones.

21. priscorum) Barthius coniec.: Pisonum. Adv. 49. 7. — 23) decuere) e coniectura Barthii. omnes: docuere — 26. nec enim si) tamen etsi Scalig. Jun. Pulm. Aurel. Cort. Wernsd. — 27. Occidit et) non periit Scalig. Jun Pulm. Aurel. Cort. Wernsd. — 30. hinc) hic Lugd. Bersm. Micyll. — contingit) continget Lugd. Bersm. Micyll. — 31. victrices) victricis Lugd. victores legit Casaub. ad Suet. Domit. cap. ult. — 35. magno) magnae Lugd. — vigente) iuventae Lugd. — 37. Quaeque patrum claros quondam visura) Sed quae Pisonum claros visura Lugd. Micyll. Bersm. — 43. nefas) nephas Lugd. Micyll. 1575. — 44. Tu quoque Piso) namque ubi Piso Bersm. »haec est lectio editionum ante Junium et Scaligerum.« Wernsd. dura Piso.

Victor: sponte sua sequitur, quocunque vocasti:
Flet, si flere iubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit iudex, quam non habet, iram.
Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, et nunc cervice rotata
Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non attonitus iudex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem?
Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos
Densaque vibrata iaculari fulmina lingua,
Seu iuvat adstrictas in nodum cogere voces
Et dare subtili vivacia verba catenae,
Vim Läertiadae, brevitatem vincis Atridae:
Dulcia seu mavis liquidoque fluentia cursu
Verba, nec incluso sed aperto pingere flore,
Inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te, Piso, tamen populo sub iudice sola
Mirantur fora, sed numerosa laude senatus
Excipit et meritas reddit tibi curia voces.
Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
Gloria contigerit, qua tu reticente senatu,
Cum tua bis senos numeraret purpura fasces,
Caesareum grato cecinisti pectore numen!

Variae lectiones.

nam Lugd. Micyll.: utriusque mgo. namque ubi Piso. Tu quoque Piso Scalig. Jun. Pulm. Aurel. Cort. Wernsd. — 45. ducis) Alii: tentas, C Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: ducis — 46. victor) Alii: victus C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: victor — 47. iubes) Alii: libet C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: iubes. — 47. coactus) Barthius coniec. vocatus. Adv. 49. 7. — 48. quam) Alii: si C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: quam. — 52. auras) quidam: aures. C. Barthius coniecit: armos, quod Wernsdorfius probat. — V. 62. Dulcia) alii dulci. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: dulcia. — 69. reticente) Alii retinente. C. Sic Lugd. Micyll. 1575. Bersm. cuius mgo: reticente.

Quod si iam validae mihi robur mentis inesset
Et solidus primos impleret spiritus annos,
Auderem voces per carmina nostra referre,
Piso, tuas: sed fessa labat mihi pondere cervix
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
Sic nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit:
Sic et aëdonia superantur voce cicadae,
Stridula cum rapido faciunt convicia soli.
Quare age Calliope posita gravitate forensi
Limina Pisonis mecum pete: plura supersunt,
Quae laudare velis inventa penatibus ipsis.
Huc etiam tota concurrit ab urbe iuventus
Auditura virum, si quando iudice fesso
Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.
Tunc etenim levibus veluti proludit in armis
Compositisque suas exercet litibus artes.
Quin etiam facilis Romano profluit ore
Graecia, Cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi.
Testis Acidalia quae condidit alite muros
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.
Qualis, io superi, qualis nitor oris amoenis
Vocibus! hinc solido fulgore micantia verba
Implevere locos, hinc exornata figuris
Advolat excusso velox sententia torno.
Magna quidem virtus erat, et si sola fuisset,

Variae lectiones.

72. vv. 72—84 Scal. Jun. Pulm. Bersm. Aurel. Cort. Wernsd. post v. 261 coeperit et nondum etc. ponunt. — 72. jam) tam Jun. Pulm. Scalig mgo. Bersm. Aurel. Cort. Wernsd. — 74. voces) dotes coniec. Santenius Wernsd. test. — 77. Sic) Alii: sed. C. Sic Jun. Pulm. Scalig. mgo Bersm.: sed. — 79. aëdonia) hedionia. Lugd. in mge aëdonia. — 80. rapido) rabido coniec. Santenius Wernsd. test. — 83. quae) quis Micyll. 1575. — 85. virum) verum Micyll. 1575 vitio typ. — 87. etenim) Alii: etiam. C. Sic Micyll. Bersm. e. mgo: etenim, li. tres. — 88. compositisque) compositusque Lugd. Micyll. 1575. — profluit) Alii: perfluit. C. Sic Micyll. Bersm. e. mgo: profluit,

Eloquio sanctum modo permulcere senatum;
Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes:
Sed super ista movet plenus gravitate serena
Vultus et insigni praestringit imagine visus:
Talis inest habitus; qualem nec dicere moestum
Nec fluidum, laeta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenitae stat nobilitatis in illo
Pulcher honos et digna suis natalibus ora.
Additur huc et iusta fides et plena pudoris
Libertas animusque mala ferrugine purus,
Ipsaque possesso mens est opulentior auro.
Quis tua cultorum, iuvenis facunde, tuorum
Limina pauper adit, quem non animosa beatum
Excipit et subito iuvat indulgentia censu?
Quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
Diligis ex aequo, nec te fortuna clientum
Natalesve movent: probitas spectatur in illis.
Nulla superborum patiuntur dicta iocorum,
Nullius subitos adfert iniuria risus.
Unus amicitiae summos tenor ambit et imos.
Rara domus tenuem non aspernatur amicum
Raraque non humilem calcat fastosa clientem.
Illic casta licet mens et sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate iacebit.
Sed lateri nullus comitem circumdare quaerit,
Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces;

Variae lectiones.

ibr. tres. — 90. Cecropiaeque) Cecropioque Lugd. — 90. sonat) Wernsd. coniec. sonas. — 90. gravis) »favus Heinsius Advers. IV. c. 1.« Wernsd. — urbi) undae Cort. Wernsd. — 97. et si) Alii: etsi. C. Sic Bersm. c. mgo: et si. — 98. permulcere) Alii: perfulcire. C. Sic. Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: permulcere libr. duo. — 101. insigni) insignis Lugd. — 110. beatum) »Cuperus Observ. III. c. 1. reatum.« Wernsd. — 113. diligis) diligit Lugd. Micyll. 1612. — 113. clientum) Alii: colentum. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: clientum libr. duo. — 120. Illic.) Vir doctus: Illi. C. — 122. Sed) »Laur. Santenius V. C. in literis ad me datis suadebat et.« Wernsd. —

Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex aequo vicibusque regatur ab illo:
Sed miserum parva stipe munerat, ut pudibundos
Exercere sales inter convivia possit.
Ista procul labes, procul haec fortuna refugit,
Piso, tuam venerande domum. Tu mitis et acri
Asperitate carens positoque per omnia fastu
Inter ut aequales unus numeraris amicos
Obsequiumque doces et amorem quaeris amando.
Cuncta domus varia cultorum personat arte,
Cuncta movet studium: nec enim tibi dura clientum
Turba rudisve placet, misero quae freta labore
Nil nisi summoto novit praecedere vulgo,
Sed virtus numerosa iuvat. Tu pronus in omne
Pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
Seu leviora iuvant: nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet: nec semper in armis
Bellica turba manet, nec tota classicus horror
Nocte dieque gemit, nec semper Gnossius arcu
Destinat, exemto sed laxat cornua nervo,
Et galea miles caput et latus ense resolvit.
Ipsa vices natura subit variataque cursus
Ordinat, inversis et frondibus explicat annum.
Non semper fluidis adopertus nubibus aether

Variae lectiones.

126. munerat) Alii focilat. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: munerat Scal. et Jun. »Antiquae edd. ante Scal. et Jun., ut et Bersm., sic habent.« Wernsd. — 126. pudibundos) pudibundus Lugd. Micyll. »Pro pudibundos etiam quaedam antiquae habent pudibundus.« Wernsd. — 128. Ista p. labes) Alii: Iste p. livor. C. Fortasse Ipse p. livor dare voluit Cortius; nam ipse p. livor Lugd. Micyll. Bersm. exhibent. Bersm. mgo: ista procul labes. — 130 fastu) vasta Micyll. 1575. vitio typoth. — v. 131. ut) et Aurel. vitio typoth. — 140. Adducta) Alii: abducta. C. Sic Micyll. Bersm. c. mgo: adducta libr. tres. — 140. nec) alii: non. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: nec. — 142. nec) Alii: non. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: nec. — 142. arcu) alii: arcus. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: arcu. — 145. Ipsa vices natura subit) »Hein-

Aurea terrificis obcoecat sidera nimbis.
Cessat hiems, madidos et siccat vere capillos:
Ver fugit aestates: aestatum terga lacessit
Pomifer autumnus nebulis cessurus et undis:
Ignea quin etiam Superûm pater arma recondit
Et Ganymedeae repetens convivia mensae
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
Temporibus servire decet: qui tempora certis
Ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
Miles erit: si pax, positis toga gestiet armis
Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
Felix illa dies totumque canenda per orbem,
Quae tibi, vitales cum primum traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes.
Mira subest gravitas inter fora, mirus omissa
Paulisper gravitate lepos. si carmina forte
Nectere ludenti iuvit fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen:
Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus
Et te credibile est Phoebo didicisse magistro.
Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
Publica securis exsultent otia terris.
Nec pudeat Phoebea chelys, si creditur illis
Pulsari manibus, quibus et contenditur arcus.

Variae lectiones.

sius ex ingenio emendavit: Ipsa vicis Natura suae variata recursus Ordinat. Burm. Anthol. Lat. T. II. 344.» Wernsd. — 146. inversis et frondibus) Heinsius: in vernis nec frondibus. — 147. fluidis) pluviis Heinsius. — 148. et siccat) ut siccet Heinsius. — 151. nebulis) Alii: nimbis. C. Sic Jun. Pulm. Scalig. mgo Bersm. Aurel. Heinsius. nubibus Lugd. in mge nebulis. nivibus Barthius vult. — 151. undis) udis Heinsius. — 152. recondit) Forte: reponit. Wernsd. — 154. gessit) Forte: iecit. Wernsd. — 157. gestiet) Alii: vestiet. C. »Hoc etiam Bersm. pro variante apposuit, ipse tamen et caeteri gestiet ediderunt« Wernsd. — 158. decebunt) docebunt Micyll. Lugd. 1575. — 159. orbem) Alii: aevum. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm., c. mgo: orbem libr. duo. — 170. securis) securus Jun. Pulm. vitio typ. —

Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles;
Quamvis mille rates Priameïus ureret heros
Et gravis obstreperet modulatis buccina nervis.
Illo dulce melos Nereïus extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
Arma tuis etiam si forte rotare lacertis
Inque gradum clausis libuit consistere membris
Et vitare simul, simul et captare petentem:
Mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
Flectis et obliquis fugientem cursibus urges:
Et nunc vivaci scrutaris pectora dextra,
Nunc latus adversum necopino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam iuvat aut revocare cadentem
Et non sperato fugientem reddere gestu.
Haeret in haec populus spectacula totaque ludos
Turba repente suos iam sudabunda relinquit.
Te si forte iuvat studiorum pondere fessum,
Non languere tamen, lususqne movere per artem
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus et vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat: ille petentem
Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,

Variae lectiones.

173. Ipse fidem movisse ferox) Alii: Sic movisse fides saevus. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: Ipse fidem movisse ferox Scal. et l. aliquot. — 174. heros) melius legetur Hector, quia heros redit. C. — 176. extudit) Alii: extulit. C. Sic Pulm. 1576. Aurel. — 179. Inque gradum) Vir doctus: Inque gradu. C. »Ita correxit I. Lipsius Saturn II. c. 20.« Wernsd. — 180. Et vitare) Quidam: Et virtute. Corrupte. C. — 182. Flectis) Plectis Lugd. — 183. Et nunc) Alii: nunc quoque. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: Et nunc Scal. »Vir doctus (Barthius Advers. XXVII. 13. Wernsd) ex Ms. Et nunc scrutaris vitalia pectora dextra. — 188. haeret) Quidam: Moeret. Male. C.

Qui stetit in speculis: hic se committere rixae
Audet et in praedam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad maiora movetur,
Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra
Clausaque deiecto populetur moenia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Proelia militibus: plena tamen ipse phalange
Aut etiam pauco spoliata milite vincis
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.
Sed prius emenso Titan versetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
Felix et longa iuvenis dignissime vita
Eximiumque tuae gentis decus, accipe nostri
Certus et hoc veri complectere pignus amoris!
Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est: animum, non carmina iacto.
Tu modo laetus ades! forsan meliora canemus:
Et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
Spes animum: dignare tuos aperire penates!
Hoc solum petimus: nec enim me divitis auri
Imperiosa fames et habendi saeva libido
Impulerit, sed laudis amor. Juvat, optime, tecum
Degere cumque tuis virtutibus omne per aevum
Carminibus certare meis. Sublimior ibo,
Si famae mihi pandis iter, si detrahis umbram.

Variae lectiones.

199. rixae) rixa Bersm. 1582. vitio ut videtur typoth. — 202. »Obligat) Forte et hic: Alligat.« Wernsd. — 205. sectis) »Senftlebius de Alea vet. cap. 12. legendum putat sceptis« Wernsd. — 207. spoliata) Putares: spoliatus. C. »Et sic edidit Hadrianus Junius.« Wernsdorf. Falso. Junius spoliata edidit. — 209. versetur) Forte mersetur, scil. Oceano. Wernsd. — 213. et) ut Lugd. Micyll. — 216. canemus) Alii: tenemus. C. »Sic Scaliger et Pithoeus ediderunt.« Wernsd. Item Pulm. Aurel. — 220. impulerit) Sic Jun. Pulm Scalig. mgo Bersm. Aurel.; ceter.: Impulerant. „Videtur legendum Impulerunt« Wernsd. —

Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta ferat teretique fluentia malo
Possit et excusso dimittere vela rudente?
Ipse per Ausonias Aeneïa carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Maeoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, et sterili tantum cantasset avena
Ignotus populis, si Maecenate careret:
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit numina soli.
Maecenas tragico quatientem pulpita gestu
Evexit Varium: Maecenas alta Toantis *
Eruit et populis ostendit nomina Graiis:
Carmina Romanis etiam resonantia chordis
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.
O decus et toto merito venerabilis aevo
Pierii tutela chori, quo praeside tuti
Non unquam vates inopi timuere senectae.
Quod si quis nostris precibus locus et mea vota
Si mentem subiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.
Possumus aeternae nomen committere famae,
Si tamen hoc ulli de se promittere fas est

Variae lectiones.

228. Ferat) Alii: gerat. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: ferat — 236. limina) Barth. Advers. XXII. 22. vult lumina. — 237. numina) Alii: nomina. C. »Sic Scaliger, Pithoeus, Junius dederunt. Solus Bersmannus numina.« Wernsd. nomina Pulm. Aurel. numina etiam Lugd. et Micyll. — 238. gestu) caestu Lugd. Micyll. Bersm. Verum in his omnibus appositum invenies caestu: Bersmannus tres libros exhibere caestu testatur. — 239. Evexit Varium) Alii: Erexit Varum C. Sic Lugd. Micyll. Bersm c. mgo: evexit Varium Scalig. et libr. — 239. Toantis) Alii: tonantis. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: Toantis. Barthius Advers. XXIV. 14, pro alta Toantis vult alta Latinos; Wernsd. alta sonantis. Thoantis Pulm. 1576. Cort Aurel. Wernsd. —

Et deus ultor abest: superest animosa voluntas
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum: tu, Piso, latentem,
Exsere! Non humilis domus et sincera parentum,
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.
Possumus impositis caput exonerare tenebris
Et lucem spectare novam, si quid modo laetus
Annuis et nostris subscribis, candide, votis.
Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
Quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas
Coeperit et nondum vicesima venerit aestas.

Variae lectiones.

243. Horati) Arati Lugd. — 243. et toto m. v. aevo) Alii: in totum m. v. aevum C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. c. mgo: et toto m. v. aevo. — 251. Et Deus ultor abest) Alii: Et deus auctor adest. C. »Hanc lectionem in margine ponit et minus probat Bersmannus. Ego vero in nullo meorum inveni.« Wernsd. Et Deus ultor abest Lugd. Micyll. Bersm. in his omnibus appositum invenies Et Deus auctor adest. — 253. Tu nanti) Cl. Santenius praefert Audenti. Idem referebat a viro docto ad hunc locum notatum »Tu nati.« Wernsd. — 254. Non) Omnes: nos. — 254. et sincera) »In Lucani exemplari bibliothecae Leidensis Lipsius sua manu notaverat at sincera.« Wernsd. — 261. aestas) Alii: aetas. C. Sic Lugd. Micyll. Bersm. in mge omnes habent: aestas.

Addenda:

Barthius Advers. 49. 7. v, 52. pro quadrupedi dedit cornipedi; 24. 14. v, 239, non evexit sed erexit. Adde p. 1. v. 6. a. f. post Wernsd.: Cf. Burm. Anthol. Lat, Tom. 1, p. 207 — ifem p. 5. v. 7. a. f. post Wernsd.: Cf. Burm. Anthol. Tom. II. p. 326.